



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 2. Quantitas Belgij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

LIBER OCTAVVS.

De Belgio.

BROPEARVM regionum est illa minima, si amplitudinem spectaueris; si diuitias, & hominum frequentiam, paucis admodum decedet; vrbibus ita frequentibus, vt sese contingere videantur.

CAPVT PRIMVM.

De Belgio generatim.

QVÆREMVS eius Nomina, Quantitatem, Qualitatem, Mores, Politiam, Linguam, Religionem.

§. 1. *Nomen Belgij.*

VARIA huius Regionis nomina deprehendo apud scriptores.

1. est BELGIUM quo ferè vtuntur omnes qui Latine scribunt, Quod qui referunt ad Belgium Cæsaris satis à nobis suprâ refutati sunt. Nomen igitur hoc habet à Galliâ Belgicâ, cuius maximam partem hæc Regio continet.

2. NIDESLANDIA, seu Neuerlanlia, hoc est Regio inferior, vulgò *les Pays Bas*: qui autem Germaniam inferiorem nominarunt, perperam totius nomen affixerunt parti. Nam inferiori Germaniæ & quæ trans Mœnum iacet hoc quoque Belgium attextitur.

3. FLANDRIA *la Flandre*, ita dicta vel à flatibus, vel fluctibus maris, quia Oceano Germanico verberatur, vt legitur in actis Aldenburchensis monasterij; vel à voce *Flandra*, quæ æstuarium sonat, quod magis probat Meyerus: vel denique à Flanberto quodam, quem Clodio Francorum Rex huic oræ maritimæ præfecit, vt Flandri loquuntur Annales.

§. 2. *Quantitas Belgij.*

Longitudo eius Geographica desumitur ab oppido *Hedino*, ferme

Treuiros vsque, continetque circiter 180. millia passuum.

Latitudo item *Geographica* consideratur à *Theodonis villa*, ad *Amelandiam* Insulam, & circiter ducenta passuum millia continet.

Vbi obseruabis longitudinem & latitudinem Belgij aliter quoque sumi posse, videlicet pro maximâ & minimâ extensione, eoque in sensu longitudinem *Geographicam* dicendam esse latitudinem, latitudinem *Geographicam* longitudinem appellandam: quod accidit iis regionibus, quæ latiùs patent à Septentrione in Meridiem, quàm ab Occidente in Orientem.

§. 3. *Qualitas Belgij.*

HÆC Regio paulò humidior est, ideóque pascuis quàm cerere lætior; ferè tota palustris est. Canabim & linum vbique profert. Equos fortissimos emittit. Ferè serpentibus caret, si paucos colubros excipias. Rarè hïc tonat & fulgurat: hyems perfrigida, rigentibus quotannis fluminibus. Quàm sit populosa arguit vrbium multitudo quæ supra ducentas numerantur, cum centum & ampliùs maioribus burgis vrbium iure fruentibus. Certè anno 1380. vnum Gandauum, vt cæteras vrbes taceam, octoginta armatorum millia exhibuit.

§. 4. *Mores Belgarum.*

SIMPLICIORES sunt Belgæ, & minimè mali, sed si semel in fraudem eos induxeris inimicos experieris. Philoxeni omnes, omnes munditiem amant, quæ in omnibus eorum rebus singularis est. Pecuniæ auidi, ideóque mercaturæ diligenter incumbunt. Desides ferre non possunt, eosque per vim ad laborem compellunt. Retinentissimi sunt religionis, ad hanc tamen compelli nolunt. Principibus suis orantibus omnia concedunt, exigentibus omnia negant, & amore potiùs quàm imperio regi volunt.

§. 5. *Politia Belgarum.*

Ex quo Carolus Magnus Saxones sæpiùs rebellantes in eâ regione collocavit, indigenis rebellionis suæ afflauere virus. Quid